

C R I M I N A L I S.  
ARTICULUS CXXXV.

115

*Pœna semetipsum interficientis.*

Sibi ipsi violentas manus inferre deterrimum delictum, & crimen gravissimum & detestabile est, ut eleganter tradit *Roland à Vall. vol. 3. conf. 20. num. 15. cum multis seqq.* & hac de re Ego copiosè ago in *horis meis subcisivis, disc. Acad. 1. concl. 26. & in decad. conf. resp. 1. num. 37.* quò me brevitate ergò remitto, vide *Prosp. Farin. de homicidio, q. 128. cum seqq. Ioachimium à Scepliz. in consuet. Brandeb. part. 3. tit. 5. §. 2. num. 4.* Qui tamen semetipsum interfecerunt, de iis vide *Sam. Mager. in nucl. histor. lib. 6. class. c. 10. p. 136.* Præsens articulus tria in se continet: I. Si quis in scelere deprehendatur, aut postulatus sibi manus intulisset, ejus bona non venire tunc ad hæredes, sed ad fiscum. II. Si verò quis id tædio vitæ, vel intemperantia doloris, luctusq; alicujus causa admiserit, non inquietabitur, sed ordinaria successio relinquitur. III. Improbatur consuetudo, cujus prætextu hæctenus bona illorum, qui ob mærorem aut morbum sibiipsis manus intulissent, fiscus & Magistratus arripuerunt & occuparunt, quæ dextrè *Gobl. Zieritz. & Steph.* explicant, & ego de iis egi citatis in locis. Vide *Tacit. & ibidem Lips. in notis, lib. 2. p. (mibi) 25. & in manud. ad Stoic. Philos. lib. 3. c. 22. 23. Dn. Reinh. Bachov. Echt. vol. 2. disp. select. 32. th. 5. D. verb. sui ipsius, & verb. qui occidendi animo, Herm. Goëhaus peric. 3. q. Acad. 23.* An cadaver magi, qui in carcere ante executionem conscientiam sceleris se interfecit, comburi possit? Vide *Berlich. p. 4. concl. 3. n. 99.*

ARTICULUS CXXXVI.

*Si quadrupes pauperiem fecerit, vel hominem occiderit.*

Qui feram bestiam genitali feritate præditam in ædibus suis habet, patiturq; , unde vitæ corporis periculum aliis sit metuendum, eam dominus removere tenetur. Quod si enim illa fera alicui nocuerit, damnum dederit, aut hominem occiderit, dominus idcirco pro conditione causæ, damniq; ratione pœnæ subjicietur. Placent, quæ tradunt hîc *Gobler. Remus, Zieritz. & Steph.* Plura desiderans adeat *Iust. Mejer. in Collegio Argentoratensi, lib. 9. Pandectarum, tit. 1.*

ARTICULUS CXXXVII.

*Pœna latronum, sicariorum, assassinorum nullam sufficientem excusationem habentium.*

Homicida voluntarius capite puniendus venit. Nihil enim horribilius, nihil abominabilius inter mortales inveniri potest, quàm sibi natura similem trucidare, ut latissimè deduxi in *Pentade meâ Consiliorum, resp. 1. q. 1. nu. 4. 6. 7. 8. 9. 10. 11.* Quæ pœna tam in nobili committente homicidium dolosum, quàm in plebejo locum habet, *Iul. Clar. lib. 5. sent. §. homicidium, nu. 18.* cum quo etiam concordat hic articulus, ponderando verbum, *Ein Jeder* *Ioach. Schreplitz. in prompt. jur. Klamm. tit. 45. §. 3. num. 2.* Nec transactio super homicidio destinata volunta-